



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. XI. Vtrùm eadem sit ratio sectandi probabilia in materiâ morum, ac  
in materiâ fidei?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

sitiones Euclidis collectas tenet, earumque sensum callet, non ideo peritus geometra dici debet, quamvis per modum assertionum plurima dicere possit, atque instar veritatum certissima dicere proponere. Idem proportionaliter locum habet in casu nostro de Confessario, qui Summâ casuum ad poenitentes dirigendos utitur. Ille enim non est sapiens Theologus, quamvis in multis ac plurimis tam alios quam seipsum etiam possit dirigere. Ratio est, quia ille solum sapiens Theologus dici potest, qui non solum quid tenendum, sed etiam quare ita sentiendum sit, novit; quique omnium assertionum ordinem atque connectionem bene callet, rationesque in contrarium afferri solitasolvere, suasque Theses validis rationibus munire potest. At hoc à nemine, etiam ingeniosissimo, utente Summâ casuum, statim acquiri potest; magno enim labore, diuturnoque tempore opus est, ut ad talem sapientiae gradum quis pertingat; & magna hominum pars prorsus inepta est, ut ad talem scientiae gradum ascendat.

Summæ casuum utiles sunt, & necessariz ad Confessarios dirigendos.

10. Cæterum miror, cur hæc facilitas scientiam per Summas casuum regendi Celladeo displiceat. Putatne fortasse consultum fore Ecclesiam, si nullæ ejusmodi Summæ extarent? aut certe si à nemine nisi à consummato Theologo

legerentur? At quis tunc rusticorum in omnibus pagis degentium curam gereret? ubi inveniet ille tot consummatos Theologos, qui possint, aut velint omnibus omnino Ecclesiis Parochialibus inservire? Profectò longè melius est ut tales libri extant, ex quibus minus periti juventur, quàm si aut non extarent, aut minus periti iis non uterentur. Necessè enim est, maximam Parochorum partem non esse viros in Theologia ac Canonum peritiâ consummatos, cum juxta conditionem humanam tot docti inveniri non possint, qui omnibus omnino locis præfici possint, aut velint. Ergo congruum prorsus est, ac quodammodo necessarium, ut officium animas regendi per hujusmodi libros facilitate, quia longè plura incommoda provenirent, si Pastores animarum talibus præfidiis destituerentur, quàm ex eorum usu de facto veniunt. Quod cum ita sit, ex hac ipsâ talium librorum necessitate confirmatur benigna, & rigida Celladei sententia confutatur, quia illa ita constituit rempublicam, ut illi de idoneis ministris animarumque Pastoribus provideri non possit. Impossibile enim est invenire sufficientem numerum eorum, qui ex propria scientiâ conscientias dirigere valeant. Sed de hoc argumento iterum discutendum erit in sequentibus.

## QUÆSTIO UNDECIMA.

*Virum eadem sit ratio sectandi probabilia in materiâ morum, ac in materiâ fidei?*

1. **N**ON solum recentiores, sed etiam antiqui Theologi sic argumentati sunt. In materiâ fidei licitum est sequi quamcumque opinionem probabilem. Ergo & in materiâ morum licet sequi quamcumque opinionem practicè probabilem. Antecedens sumitur ut principium notius, de quo nemo meritò dubitet. Consequens ob paritatem, seu potius ob identitatem rationis rectè deducitur. De hoc argumento latè egi *quæst. 21. de conscientiâ prob. à num. 16.* ex quâ nonnihil huc transcribendum judicavi, ut satisfaciam iis, quæ Celladeus circa hanc paritatem protulit *lib. 1. quæst. 1.* Sit ergo.

### ASSERTIO UNICA.

In materiâ fidei licet sequi quamcumque opinionem probabilem.

In materiâ fidei licitum est sequi quamcumque ex contrariis opinionibus certò probabilius. Ex hoc autem ritè inferitur, quòd idem liceat in materiâ morum.

2. **P**ROBATUR prima pars, quia alioquin in rebus ad fidem spectantibus nemo licitè posset ullam opinionem tenere, donec Ecclesia determinasset, eò quòd periculo erroris se exponeret; nec salvaretur per hoc, quòd post debitam diligentiam probabiliter judicaret. At sequela est aperte falsa; tum quia est contra unanimum consensum & praxim omnium sapientum, tum quia veritas talis sequelæ esset noxia, hominibusque à studiis sacrarum literarum ac Theolo-

giæ revocaret. Et sanè tum ex communi omnium consensu & praxi, tum ex ipsâ naturâ rei manifestum est, quòd in materiâ fidei liceat sequi quamcumque ex opinionibus contrariis certò probabilibus, quas Ecclesia tolerat, & in quibus graves Doctores inter se dissentunt. Ratio est, quia cum ex neutrà parte certitudo reperitur, & certa probabilitas utrique parti faveat, sitque laudabile veritatem investigare, haud dubiè honestè facit, qui eam partem amplectitur, quam post diligens examen veram reputat. Idem fuit antiquorum Theologorum sensus. Unum cito S. Antoninum, qui *parte 1. tit. 5. cap. 10. §. 10.* suæ Summæ hæc habet. Probatur hoc idem tali ratione secundum Cancellarium. Fides est tam necessaria, sicut virtutes morales, etsi non amplius; sed constat communiter apud Theologos, quòd in materiâ fidei, dum Doctores sentiunt contraria, licitum est ante determinationem Ecclesie tenere unam partem vel alteram sine periculo peccati, vel fidei, ut patet in Abbate Ioachim, qui tenebat contrarium ad id quòd Magister sententiarum dixerat in *1. dist. 1. lib. pro quo Magistro sententiam Ecclesia postmodum determinavit. Extrav. de summa Trin. Damnamus.* Nec tamen dictus Ioachim incidit in hæresim aut perfidiam propter hoc, quia dicta sua omnia subiecit correctioni Ecclesie. Ergo à simili licet unam opinionem in moralibus tenere, juxta limitata superius, ubi saltem magis sapientes non sentiunt contrarium, & ubi paratus est obedire Ecclesie & Scriptura, si ei errorem explana-verit. Constat ergo veritas primæ partis.

3. Probatur secunda pars non solum à paritate, sed etiam ab identitate, seu potius à majoritate.

Licet sequi tate rationis. Non est minus malum facere Deum quamcumque opinionem prædicem, & negare veritatem ab ipso revelatam, quam non implere ipsius voluntatem, negando obedientiam præceptis illius. At qui culpabiliter errat in materiâ fidei facit Deum mendacem, 1. Ioan. 5. 10. negando veritatem ab ipso revelatam. Ergo non minus malè operatur, qui culpabiliter errat in materiâ fidei, quam qui culpabiliter in materiâ morum transgreditur præceptum Dei. Rursus cum non minus malum sit errare circa fidem quam circa mores, utique non minus malum est exponere se periculo erroris in materiâ fidei, quam in materiâ morum. Ergo quod tollit omne malum à periculo errandi, & ab errore in materiâ fidei, pariter tollit omne malum à periculo errandi, & ab errore in materiâ morum. Sed certa probabilitas de veritate, quam amplectimur, tollit omne malum à periculo errandi, & ab errore (si forte erremus) in materiâ fidei. Ergo certa probabilitas veritatis & honestatis tollit omne malum à periculo errandi, & ab errore (si forte erremus) in materiâ morum. Quod si non ex ratione tantum, sed ex auctoritate etiam discurramus, certum est, non solum recentiores, sed etiam omnes antiquos Theologos unanimiter iudicasse, primam partem assertionis esse veram, & secundam ex primâ legitime deduci. Ex antiquioribus porro Sylvester, Major, Angelus; S. Antoninus, Nider, & Gerson audacter utuntur hoc argumento, tamquam à fortiori, ad probandum quoddam in materiâ morum licitum sit sequi partem minus tutam; quia in materiâ fidei hoc licet. utpote in quâ partitior est ab omni iudicio abstinere, donec Ecclesia rem determinet.

4. Probatur secundò tota Conclusio simul. Questio de Immaculata Conceptione est questio spectans ad materiâ fidei & morum. Ad materiâ fidei, quia agitur de intelligentiâ Sacræ Scripturæ, & divinæ revelationis dicentis, *In Adam omnes moriuntur, in quo omnes peccaverunt.* Jam si Paulus absque ullâ exceptione universaliter locutus est, nos cum Scortitis illi contradicimus. Eidem contradicunt Thomistæ, si Apostolus, subintellectâ restrictione à nobis præsensâ, verba illa enunciat. Eadem questio spectat ad materiâ morum, nam in eâ fundatur peculiaris Dei cultus, nempe erectio altarium, Missæ celebratio, Indulgentiarum & Privilegiorum concessio, concionum exhortatio, &c. quæ eò tendunt, ut glorificetur Deus præservans, & Beatissima virgo à peccato præservata. Jam si illa præservata non fuisset, Deus laudaretur propter bonum, quod non præstitit. Mater Dei laudaretur ob excellentiam, quâ caruit. Uno verbo totus ille cultus in errore fundaretur, & Ecclesia concedens privilegia hanc Deiparæ immunitatem colentibus, stimulare fideles ad colendam Conceptionem verè abominabilem tamquam sanctissimam, &c. Hæc omnia ad mores pertinent, quia turpe est colere peccatorem ut sanctum, Deo tribuere quæ non facit, Sanctosque ob inanes & falsos titulos, Deique revelationi repugnantes honorare. Hinc sic arguo.

5. In hac quæst. quæ spectat ad fidem & mores, sola probabilitas, saltem olim, quando veritas hujus mysterii gradum probabilitatis non excedebat, sufficiebat ad securitatem conscientie sectantis partem minus tutam. Pars enim tutior in hac re tunc erat omne iudicium suspendere, donec aut Ecclesia veritatem definitivisset, aut veritas mysterii aliunde certò innovisset, ut patet.

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

Certum tamen est, quod licitum fuerit credere, Deiparam sine peccato conceptam esse, illique sic præservatæ, Deoque illam præservatæ cultum exhibere, &c. Similiter licitum est Thomistis contrarium tenere, quia utrumque satis aperte traditur in Bullâ Alexandri VII. de Sanctissimâ Deiparæ Conceptione non ita pridem editâ. Idem argumentum de factò locum habet in sententiâ eorum, qui tenent sententiam minus piam, modò veram probabilitatem piæ sententiæ concedant, quam certè nemo prudens illi negare potest. Jam quæro quid sit, quod certam reddat honestatem voluntatis fluctantis intellectum in assensum rei, in materiâ fidei nondum certæ? non certitudo objecti, utpote quod supponitur non esse certum. Ergo sola probabilitas, quia illâ demptâ, nemo absque peccato talem immunitatem asserere posset. E contra stante verâ ac certâ probabilitate pro utraque parte, certum est, quod cuique liceat in materiâ fidei quamvis sententiam, quæ sibi magis arridet, licite sectari, quia certa probabilitas directa fundat certam honestatem in electione terminatâ ad objectum, cujus veritas & honestas est certò probabilis.

6. Similiter quæro, quid in opinione sectantium opinionem minus piam certò honestet cultum Deo, & Deiparæ sub hoc titulo impensum? Quid ab initio, quando major pars Theologorum reclamabat, eum honestabat? Quid reddidit Summos Pontifices certos, se in hoc cultu fovendo laudabiliter fuisse operatos? Sola probabilitas exemptionis Deiparæ; hæc enim demptâ, tam Pontifices cultum illum promovendo, quam fideles eum procurando peccassent, sicut peccarent, si absque ratione probabili talem cultum Deo exhiberent in honorem conceptionis Henoch, aut alterius, cujus exemptio probabili ratione non confirmaretur. E contrario, si probabile esset, Henoch tali privilegio fuisse præventum, illico hæc omnia licita evaderent. Ex hoc autem partem particulari indubitanter vero, idem inferitur de omnibus aliis. Nam ubicumque in materiâ fidei ac morum datur directa probabilitas de honestate operis, illa non minus fundat certitudinem reflexam de honestate electionis; non obstante periculo erroris in tali iudicio directo, quàm probabilitas immunitatis Deiparæ, non obstante periculo erroris, fundet certitudinem reflexam de honestate iudicii uni parti alligati, & cultus sub hoc titulo Deo impensum. Ergo certa probabilitas partis minus tutæ universaliter sufficit pro securitate conscientie in materiâ fidei & morum. Qui plura velit de hac materiâ, adeat quæst. 21. de Conscientiâ probabilis, ubi alia huc spectantia cum plurium objectionum solutione inveniet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

7. OBJICIT primò. Sicut extra Ecclesiam Catholicam inter hæreticos diversæ videntur opiniones de ipsâ religione, his hanc veram esse affirmantibus, illis negantibus, ita pariter intra Ecclesiam variæ sunt, atque dissentientes de moribus sententiæ; hi namque bonum vocant, quod alii dicunt esse peccatum. Ita Cellædeus lib. 1. quæst. 1. §. 2. ad quam paritatem in aliis locis ejusdem quæstionis alludere videtur. Hæc autem quod tendant, non apparet, nisi hoc, aut alio simili modo applicentur. Atqui dissentientes illæ hæreticorum de fide opiniones non sal-

L 3

vant

Sola probabilitas sufficiebat ab initio, quando plurimi reclamabant.

Objectiones

vant eos à peccato, nec à damnatione liberant, quia respiciuntur falsum. Ergo opiniones Catholicorum de malo & bono neminem excusant si forte errent, quia prosecutio boni veri ac realis non est minus necessaria ad rectam operationem, atque ad vitam æternam, quam absoluta veritatis assertio ad veram fidem. Et sanè, quamvis Celladeus hoc expressè ex hac paritate non inferat, modus tamen procedendi, & totus quæstionis, imo totus libri processus aperte indicat, eum ad hoc aut aliud simile collimare.

Comparatio, quæ Celladeus utitur, est perabiurda.

Respondeo comparationem hanc parificantem dissensiones hæreticorum sibi contradicentium circa credenda, cum contrariis Catholicorum opinionibus de agendis, esse prorsus absurdam, quia omni proportionatæ paritatis merito caret. Hæretici enim ideo sunt culpabiles, quia contra certissimam fidei veritatem erroribus suis pertinaciter adherent; siquidem auctoritas Ecclesiæ, & fundamenta sufficientis credibilitatis tanto intervallo superant omnem apparentiam in contrarium, ut illa prorsus evanescat, omnique probabilitate careat. Quid ergo mirum, si peccent Hæretici, cum temerè & pertinaciter suis erroribus adherent, contra veritatem nomine Dei sufficienter propositam? E contra, Catholicorum dissensiones sunt inculpabiles, quia quævis pars, ita magnis, validis, probabilibusque rationibus nititur, ut nil certi obstat in contrarium. Hinc hæretici pertinaces vincibiliter errant, & peccant.

Auctores Catholicos dissentientes invincibiliter errant.

Catholici verò, si errent, invincibiliter errant, & non peccant, quia haud temerè, sed rationaliter suam sententiam in rebus incertis profertur. Exemplum habes tam in speculativis, quam in practicis. Thomistæ existimant Deiparam originali labe fuisse infectam: Scotistæ aliique communiter oppositum sentiunt & docent. Altera pars errat. Rursus S. Thomas cum aliis multis docet iudicem licitè condemnare posse innocentem, si juxta leges probetur esse reus. Alii Auctores gravissimi ac numero plurimi dicunt, illud esse illicitum. Peto jam, an Celladeus audeat condemnare S. Thomam, casu quo erraverit, aut illius dissensionem ab opinione verâ cum hæreticorum erroribus comparare? Si hoc non audeat respectu S. Thomæ, aut D. Bonaventuræ, si similiter id ipsum non audeat respectu partium de Immaculatâ Deiparæ Conceptione discrepantium; cur ergo talem comparationem instituit, quâ uti non potest in particularibus sub universali suâ comparatione constitutis? Certè si S. Thomas, si D. Bonaventura in moralibus, si Thomistæ & Scotistæ in speculativâ quæstione citatâ non peccarint, sicut peccant hæretici inter se dissentientes, utique nec alii Catholicos contraria de rebus incertis probabiliter opinantes peccant, nec unquam efficiet Celladeus, ut oppositum ex hac Catholicorum cum hæreticis comparatione ullâ probabilitate vincatur. Sed quid? Nonne tu, Celladee, ab aliis Catholicis dissentis? Immo verò & singulares contra unanimum aliorum consensum opiniones inducis? Ergo si erras (erras autem in omni apice ut constabit) ex mente, ut apparet, tuâ, (nam ego mitius iudico) non magis excusaris, quam excusentur hæretici inter se dissentientes. Vide sis, quomodo his te extrices, & in posterum à similibus comparationibus abstine.

Nemo citra temeritatem hoc negare potest.

8. Ob. secundò. Nemo excusatur, si erret, & falsa scietur, nisi debitam diligentiam præmiserit. At qui talem diligentiam adhibet, invenit

veritatem; fieri enim non potest (inquit Aug. lib. de quantitate anime cap. 13.) quâdam providentiâ divinâ, ut religiosis animis scriptos, & Deum suum, id est, veritatem piè, castè, & diligenter quærentibus inveniendi facultas desit. Præterea Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Ergo omnes debitâ diligentia adhibita possunt veram religionem & Ecclesiam Catholicam, extra quam non est salus, invenire. Eadem porrò est ratio de moribus ac de fide, quia Deus tam rectæ morum doctrinæ, quam veræ fidei est auctor: ergo providentiâ illius non minus extendi debuit ad possibilitatem inveniendi unam, quam alteram. Ergo utraque per debitam diligentiam est invincibilis.

Rursus, Deus nullâ falsâ religione, quamvis existimetur certissima, rectè & dignè colitur. Ergo similiter nemo in moralibus illi placere potest, si malum faciat, quamvis errando certissimè credat illud esse bonum. Itaque sola veritas tam in mente quam in opere Deo placet. Et sanè quid opus est opinionibus? Christi præceptis & exemplis, gestisque ac doctrinis Sanctorum tam copiosè instituitur, ut vetulæ ipsæ ante oculos nostros cælum rapiant, quin opinione vivant, sed veritate, quibus scilicet Deus coram dat præcepta, & legem viæ & disciplinæ. Ita Celladeus lib. 1. quæst. 1. præfertim §. 4. in fine.

Respondeo Celladeum hic aperte confundere ea, quæ sunt absolute necessaria necessitate mediæ, cum eis, quæ solum necessaria sunt secundum quid, & vocantur necessaria necessitate præcepti. Qui errat in absolute necessariis, quomodocumque erret, non potest finem ultimum adipisci. At qui invincibiliter errat in aliis, excusatur à peccato, & adipisci potest finem, cum per hoc mediis ad finem obtinendum necessariis non privetur. His postis, dico fidem Catholicam, & omnia necessaria necessitate mediæ ad salutem esse reperibilia per debitam diligentiam, alioquin Deus non serid vellet omnes salvos fieri. Verum hoc locum non habet in moralibus inter Doctores Catholicos controversis, quia nec certa, nec vera eorum resolutio est absolute necessaria ad salutem. Ergo etsi homo post debitam diligentiam erret in his, non ideo aut in præsentem peccat, aut à beatitudine consequendâ impeditur in futuro. Porro tam ratio quam auctoritas Augustini solum procedit de rebus necessariis necessitate mediæ, nam in aliis certum est, omnes aliquando laborare ignorantia invincibili.

Celladeus confundit necessaria necessitate mediæ cum necessariis necessitate præcepti.

9. Ad confirmationem, fateor Deum nullâ falsâ religione rectè & dignè coli fide Theologicâ, seu fide ad justificationem necessariâ, quia repugnat talem fidem conjungi cum falso. Verum si per rectum & dignum Dei cultum non intelligatur supernaturale intellectus obsequium, sed quodvis obsequium intellectuale Deo placens, dico Deum per accidens rectè ac dignè coli posse aliquâ religione falsâ. Ratio est, quia falsa fides ita proponi potest rudibus, ut illa reddatur ipsis prudenter credibilis fide humanâ. Potest etiam ita proponi, ut audiens teneatur ejusmodi assensum præbere, eò quòd vir proponens sit magnæ auctoritatis, multisque argumentis asserat, Deum sub poenâ damnationis talem fidem exigere. In hoc casu rusticus, talia audiens, illisque tamquam à Deo dictis fidem præbens, rectè digneque Deum colit. Rectè quidem, etsi erroneè, quia invincibiliter errat, ac proinde talis error est recta, quamvis non vera, ut

Deus per accidens latè dabiliter coli potest aliqua religione falsa.

fusè

fusè ostendi hic *quaest. 3.* atque antea probaveram *quaest. 12. de conscientia prob. num. 14. & seq.* quia imperatur à volitione, quam ratio vera dirigit. Similiter actus ille dignè Deo offertur, quia hî. & nunc absque peccato omitti non potest. Præterea Deus complacet sibi in omni actu, quem præcipit. Sed Deus hîc & nunc per accidens, & ex suppositione aliquâ, præcipit hunc actum. Ergo per accidens sibi complacet in illo. Ergo actus ille, etsi erroneus, rectus est, & Deus illo dignè colitur.

In mysteriis nondum sufficienter revelatis Deus dignè colitur aliquâ adigione seu persuasione falsâ.

10. Quod si loquamur de mysteriis nondum sufficienter propositis, v. g. de immaculatâ Deiparâ Conceptione, tam actus, quo pia sententia creditur vera, quam etiam cultus, titulo talis præservationis exhibitus, Deo placent, Deusque illis dignè colitur; neque id absque temeritate negari potest. Universalis enim Ecclesia, Romanam omnium magistrâ secuta, Deum hoc modo colit, neque in hoc quidquam nisi Deo dignum exhibet. Similiter, qui Deum ob citissimam Deiparâ emundationem colunt, reprehendi non possunt, nec quidquam Deo non dignum faciunt. Idem prorsus dicendum de aliis mysteriis nondum Ecclesiæ sufficienter revelatis. Ergo Deus aliquando per accidens falsâ aliquâ religione rectè & dignè colitur. Non ergo sola veritas tam in mente quam in opere Deo placet, sed aliquando veritas existimata, & opus à tali persuasione directum per accidens Deo placet.

Fidei Theologica non potest veritas sui circa falsum, sed virtus moralis potest.

11. Itaque ingens disparitas est inter veram fidem Theologicam, & operationem honestam. Vera fides nititur veracitate Dei actu revelantis tamquam objecto formali, ideoque tam impossibile est fidem esse falsam, quam Deum mentiri, quia objectum formale fidei Theologica essentialiter connectitur cum objecto materiali per illud propositum. At aliter se res habet in moralibus, quia objectum formale virtutis moralis non connectitur necessariò cum objecto materiali ejusdem. Unde possumus amare verum motivum formale virtutis, & ex illo amore extendi ad amandum objectum materiale ejusdem non verum, sed existimatum. Sic qui in similibus prorsus circumstantiis dat parem eleemosynam duobus æquè existimatis pauperibus, æquè laudabiliter operatur, quamvis unus eorum sit factus pauper, cujus proinde miseria nulla erat, quæ meritò sublevaretur. Ratio est, quia actus virtutis specificatur à motivo formali. Ergo cum motivum indifferens sit ut connectatur cum verâ, vel solum apparenti miseriæ sublevatione, mirum non est, quòd actus virtutis misericordiæ elici possit à voluntate, quamvis intellectus erret in proponendo objecto materiali. Ergo licet fides Theologica componi nequeat cum errore circa objectum materiale, tamen vera virtus moralis, Deo placens, cum hujusmodi errore componi potest.

Vetula & ignorantes magis quam ali opinione vivunt.

12. Ad illud de vetulis cælum rapientibus, dico, omnes fideles piè viventes in plurimis ita instructos esse, ut non opinione, sed veritate vivant; quia certissimis fidei regulis, & indubitatis morum præceptis imbuti sunt. Verùm regulæ & præcepta istiusmodi non adeo universalia sunt, quin in multis rebus particularibus ignorantia superfit omnibus insuperabilis; in aliis verò quàm plurimis veritas aliter quàm per opinionem haberi non possit. In talibus autem necesse est, homines non veritate, sed ignorantia, aut ad summum opinione vitam instituere. Quod cum in omnibus verum sit, in vetulis præcipuè locum

habet, utpote quæ majori ignorantia laborant, quàm docti, ideoque plurimis dubiis scrupulisque angî solent, in quibus non veritate certâ, sed opinione, atque patris spiritualis directione vitam instituunt, ejusque auctoritate meritò se tutas putant. Certè si Celladeus veterularum conscientis ditigendis assuetus fuisset, eas in rebus innumeris vitam suam opinione instituere reperisset, & coactus observasset, eas, juxta naturam rerum in quibus versantur, præ aliis opinionum directione singulariter indigere. Incongruum proinde est, & à veritate alienum argumentum à veterularum exemplo deductum.

13. His contra Celladeum dictis, ad argumentum quaestionis hic principaliter intentæ redeo, & dico, si omnia debitè inspiciantur, eodem prorsus modo de materia fidei ac morum discurrendum esse. Inprimis in materia fidei aliqua sunt certissima, & à nemine, cui sufficienter proposita fuerint, absque hæresis crimine in dubium vocari possunt. Alia non ad supremum hunc, sed ad inferiorem tantum certitudinis gradum pertingunt, & sunt illa, quæ, agnito Ecclesiæ de illis sensu, absque temeritate & hæreseos periculo nequeunt affirmari, quamvis ad fidem certissimam de illis habendam nondum sint sufficienter descripta. Alia demum aut sunt planè dubia, aut non nisi probabili conjecturâ teneri possunt. Dogmata primæ & secundæ classis ab omnibus implicitè saltem teneanda sunt; & nil eorum est, quod per diligens examen à peritioribus certè cognosci non possit. Porro nonnulla ex primâ classe de necessitate mediè explicitè credenda sunt, & ad eorum cognitionem omnes per debitam diligentiam pervenire possunt, quia Deus vult omnes salvos fieri. Alia solum necessariò credenda sunt necessitate præcepti, de quibus omnibus aliquando, & de eorum pluribus frequenter sufficit, si implicitè credantur. Neque enim ulum præceptum urget omnes; ut de singulis informationem explicitam capiant. Itaque plura horum à multis invincibiliter ignorantur, & nonnulli de illis invincibiliter errant, quod à fortiori locum habet in illis, quæ inferiorem tantum certitudinis gradum obtinent. De reliquis tertiâ classe comprehensis nulla habetur certitudo, quia sunt vel planè dubia, vel ad summum probabiliter tantum innotescunt, idquè ita aliquando, ut utrique contradictionis parti certa probabilitas faveat. In his unicuique quamcûmque partem, quæ ipsi verior apparet, amplecti licet, nec imputatur ei error, si erret, quia errat invincibiliter, & rationabiliter ac prudenter judicat.

Materia fidei est in triplici differentia.

14. Idem proportionaliter locum habet in doctrinâ morum; aliqua enim morum præcepta neminem rationis compotem latere possunt. Qualia sunt: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Parentes honorandis sunt, &c.* Præterea, non solum præcipua ista juris naturalis capita neminem latent, sed etiam conclusiones facillè ac evidentè ex illis deducibiles vel omnibus innotescunt, vel certè à nemine nisi vincibiliter ignorantur. At si sermo sit de difficillimis remotisque conclusionibus, quibus jus naturale in aliquibus casibus innotescit, plurimi invincibilem eorum ignorantiam patiuntur, ut ostendi *quaest. 16. de Conscientia prob. num. 84. & seq.* Hæc omnia à fortiori locum habent in lego positivâ, maxime humanâ; plurimæ enim ejusmodi leges à plurimis invincibiliter ignorantur. Cum ergo in istis error & ignorantia invincibiles frequenter contingant, haud dubiè multa sunt contra istas leges, quæ ad

Materia morum est in multiplici differentia.



peccatum imputari nequeunt. Demum multa ad istas leges, maximè ad humanas, spectantia, adeo difficilia sunt imbecillitati humanae, ut nemo possit certò veritatem cognoscere, sed post omnem conatum utraque pars manet probabilis. In his error imputari non potest, si quis eam partem segetur, quam post diligens studium veram reputat.

Paritas inter materiam fidei & morum declaratur.

15. Hinc patet eandem prorsus esse rationem de materia fidei, ac de morum doctrinà; sicut enim in moribus, ita & in fide aliqua sunt quasi prima principia, aut per se obvia, aut facile reperibilia; alia autem in utraque materia sunt difficiliora, quae saepe invincibiliter ignorantur; alia demum difficilissima sunt, & per consuetas hominum vires certò innotescere non possunt, & in his omnes invincibili ignorantia laboramus, & qui post diligens examen errant, utique errant invincibiliter. Unde sic arguo. In materia fidei saepe invincibiliter erratur: in quo casu error ille, & actus voluntatis ab errore illo directus nil mali continent, sed è contrario Deo placent, ut in materia de Immaculatà Deipara Conceptione, aliisque plurimis satis patet. Rursus in iis, quae ad fidem pertinent, & sunt utrimque probabilis, licitum est utramlibet partem amplecti, ut ostensum est. Ergo similiter à pari, vel etiam à potiori datur error invincibilis in doctrinà morum, qui

cum actu voluntatis, quem regulat, nil mali continet, sed Deo placet. Immo in iis, quae utrimque probabilis sunt, unusquisque tam in opinando, quam etiam in operando sequi potest utramlibet partem, maximè si eam existimet esse absolutè veram. Ratio est, quia error in materia fidei non minùs displicet Deo, quam error in materia morum. Ergo si, hoc non obstante, probabilitas & error invincibilis excusant in materia fidei, excusabunt etiam in materia ac doctrinà morum.

16. Tantùm ergo abest, ut paritas, à materia fidei ad morum doctrinam à Celladeo translata, quidquam concludat, ut ex opposito totum ipsius intentum ex paritate hac, aut potius ex identitate, aut majoritate rationis penitus destruat. Et quod plus est, hic est communis non solum recentiorum, sed antiquorum Theologorum sensus & consensus, quorum verba citata invenies *quasi. 23. de Conscientià probabilis*. Ceterùm causa deceptionis Celladei in eo vertitur, quòd ille non distinxerit inter necessaria necessitate medii, & necessaria solum necessitate præcepti. Inde enim factum est, ut omnia ad fidem & mores spectantia ad unam eandemque classem reduceret, atque ea de omnibus enunciarerit, quae solis necessariis necessitate medii conveniunt.

Equivo- catio Celladei detegitur.

## QUAESTIO DUODECIMA.

*Virum ex eo, quòd benigna sententia usus semper vigerit in Ecclesia, rectè colligatur, illam esse veram?*

**S**EMPER mihi visum est optimum argumentum pro veritate doctrinæ ad viros spectantis, si constet, illam semper in Ecclesia vigiisse, & à doctis ac probis absque ullà censurâ & scriptis traditam, & in praxim reductam fuisse. Verùm Celladeus *lib. 1. quasi. 3.* expressè asserit, ex hoc argumento nil in alterutram partem posse concludi. Videndum proinde est, an hac in re rectè senserit.

### ASSERTIO PRIMA.

Singularitas in rebus moralibus vehementè falsitatis præsumptionem fundat.

*Novitas in rebus moralibus, iis maximè, quæ ad principia generalissima debite formandi conscientiam pertinent, fundat vehementissimam præsumptionem falsitatis, quando opinio nova communem omnium antiquorum sensum condemnat.*

2. **P**ROBATUR assertio, in quam Celladeus ipse consentit. Ratio est, quia quamvis falsitas opinionis ex ejusdem novitate, Antiquorum sensum impugnante, non rectè deducatur, si formam arguendi inspicimus (certum est enim, multas opiniones novas de Solis maculis, & Lunæ montibus esse veras, quamvis omnium Antiquorum persuasio esset contraria) nihilominus illatio saepe valet ratione materiae; tunc scilicet, quando materia illa æquè cadit sub exper-

ientiam omnium, vel æquè ab omnium experientia removetur; tunc enim non potest perfectius cognosci à posterioribus, quam à prioribus, si nullum principium ad talis rei intelligentiam conducens detur, aut naturaliter dari possit, quod omnibus ex æquo commune non fuerit. In hisce ergo casibus, communis omnium consensus non potest non esse validissima præsumptio de veritate contra singularem hominem, qui novam sententiam invehret, quia singularis ille homo nullam experientiam novam, nullumque principium peculiare assignare potest, nisi quæ aliis omnibus sunt communia, & ab illis diu magnà diligentia considerata fuere. Unde si omnes, post illa seriò considerata, in unam eandemque sententiam consentiant, ingens præsumptio est, singularem hominem, omnibus aliis contradicentem, errare ac decipi. Certè in paribus circumstantiis facilius est unum errare, quam alios omnes; & ut est in adagio, plus vident oculi, quam oculus. Similiter Jurisperiti optare dicunt, *unus homo, nullus homo*. At quæ ad generalissimam conscientiam debite formandi principia spectant, sub omnium experientiam æqualiter cadunt, neque ullum est principium, quo circa hæc uti possumus, quod omnibus ex æquo non sit commune. Ergo singularitas in istis, contra unanimitatem aliorum omnium consensum, fundat vehementissimam præsumptionem falsitatis.

3. At aliter se res habet in aliis; si enim quis novum aliquid experimentum asserat, aut novis instrumentis utatur, is præcul dubio melius discurre-

tere